

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ret in bonum. Quotidie nunc expectamus Codemannum quendam, virum egregium, in consilio planè nostrum, bonum Hebræum, virum cordatum, &c. quam susceptum in D. Edoni spero. Aulicus noster cum ab omnibus petiisset hoc, ut Benschmium promoveretur, nunc studio manet, & videtur illuisse optimo Principi & omnibus nobis. D. Jacobus Hailbrunnerus Benschmium collocabitur intra octiduum, ut spero. Conventus Norimbergensis in fumum abit, proculdubio ob hanc causam, quod Electores ipsi jam voluerint comparere. Subscriptiones omnium ferme, qui in Ecclesiis & Scholis inferioris ministrant, habemus; nam vix unus aut alter illam detrectant. Ego jam ad visitationem exire deberem, sed quia Illustrissimus noster omnino vult, ut gradum assumam, petii, ut mihi parceret, ac quod à negotiis reliquum habeo tempus, tribuere me sineret præparationi, quæ certè tali actui nequaquam potest respondere. DEUS faciat ac largiatur ut non confundar, & ut per infirmitatem meam, in hoc tam periculoso rerum statu, Ecclesia & optimus Elector, non labis aut maculæ aliquid per me contrahant. Possument enim meo modulo me metiri, præcipuè cum videam, quo in loco hic verser. Dn. D. Kirchnerus intra paucos dies ibit Ihenam ad visitationem Academiæ, ut ea aliquando tandem de consensu omnium Electorum Evangelicorum reformetur. Atque hæc sunt, quæ mihi occupatissimo jam incidere potuerunt, ut ad R. T. ea perscriberem. Salvere & valere multum jubeo Dominam, uxorem s. vestram, itemque Dn. D. Erasmum & M. Ulricum, quos omnes ex animo veneror & colo, sicuti & his annumero Dominum Thomam. Valeat etiam in Christo quam optimè & felicissimè Reverentia tua. Heidelbergæ, postridie Calend. Novembris, Anno LXXX.

R. T.

observantiss.

Petrus Patiens.

Dominus Licentiatus Herderus constitutus est Cancellarius Ambergensis, sed nondum à nobis discessit. Nos Dn. D. Micylum nobis Cancellarium optamus.

XXV.

S. in Domino.

Quod & raro & breviter scribo, Reverende in Christo pater, D. Doctor clarissime, excusatum me R. Tua habebit, propter multa mea negotia, quibus distrahor

strahor. Præterita enim die solis proxima cæpi respondere Sturmio, respondeo autem acriter, ut intelligat, quod mihi cor non abstulerit, sed dederit. Non enim hominis futilem loquacitatem metto, qui mentiri & calumniari didicit, vera scribere non didicit. Retundam igitur, Domino me bene juvante, ipsius insolentiam: sed Antisturmium meus alter duplo erit prolixior priore, ut ego quidem nunc video. Quia vero Illustrissimos Electores & Principes graviter Sturmio Quarto suo Antipappo offendit, existimo intra paucos dies Senatum Argentinensem Electorum litteras accepturum, quibus denuo Senatum de subscriptione formulæ C. appellent, & de Sturmii calumniis conquerantur. Hæc R. tuæ soli scribo. Bene & fœliciter tua R. valeat, & pro me Dominum oret, ut me suo spiritu gubernet. Reverenter tuam Exc. salutem Consistorium Ecclesiasticum. Datæ raptim, 2. Novembr. Sturg. Anno 80.

R. tua

studiosiss.

Lucas Osiander, D.

XXVI.

R Ammingerus tuas mihi exhibuit, quibus intelligo te mediocri uti valetudine, quod tanto majore gaudio accipio, quanto graviore sollicitudine afficior, quoties te gravius afflictum narratur mihi; etsi etiam ego cum perpetua imbecillitate confictor, ex DEI enim gratia non patior dolores, & defluxionibus gravatur caput, quæ non sinunt linguam esse expeditam; unde fit, ut concionari non valeam, etiamsi prælectionibus utcuque sufficiam. Domini manus est, cui me submitto & permitto. Antipappum Sturmii quartum apud Bibliopolas non vidi, sicuti nec alios, qui pridem prostant, quod contentionum satur sim, præsertim cum nihil adferatur, quod non dictum sit prius. Et sunt, qui responderunt, Osiander & Pappus, quorum apologetica scripta libenter cognovi, ex eorundem lectione etiam advertaria, si tamen incidere in hoc, etiam Sturmii legerem, à te monitus. Formula concordia in vulgata publicè prostar & legitur. Eam quidam odiose calumniantur, & quantum in se est, vellent decreto à Magistratu prohiberi, ne venderetur, sed spero, eos in vanum abituros conatus, nec cariturum fructu hoc opus, quo tam enucleate multa religionis capita explicantur, & refutantur errores. Insurgent indubiè complures, allatraturi & arro furi librum, sed in propriam confusionem, stabit enim inamota Christi veritas. Sed de his plura proximè, non enim vacat in præsentiarum
copio-